Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ecclesiastes

sup tram. Qui fodit foueam incidet
in eam. et qui dissipat sepem. mordebit eum coluber. Qui transfert lapides affligentur in eis. et qui scindit ligna. multum abeis. Si retusum fuerit ferrum. et hoc non ut prius fuerit acutum fuerit. multo labore exacuentur. et post industriam sequitur sapientia. Si mordeat serpens in silentio. nichilo minus hic qui occulte detrahit. Verba oris sapientis gratia. et labia insipientis preceptabunt eum. Initium uerborum eius stultitia. et nouissimum oris illius error pessimus. Stultus uerba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit. et quid post se futurum sit. quis illi poterit indicare. Labor stultorum affligit eos. qui nescit in urbem ire. Ve tibi terra cuius rex puer est. et cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est. et cuius principes uesci tempore suo ad reficiendum. et non ad luxuriam. In pigritia humiliabitur tignatio. et in infirmitate manuum distillabit domus. In risum fatiunt panem ac uinum. ut epulentur uiuentes. et pecunie obediunt omnia. In cogitatione tua regi ne detrahas. et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuitem. quia aues celi portabunt uocem tuam. et qui habet pennas annuntiat sententiam.

Mitte panem tuum. XI.

Super transeuntes aquas. quoniam post multa tempora inuenies eum. Da partes septem. nec non et octo. quia ignoras quid futurum sit malum super terram. Si repleti fuerint nubes. imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum. aut ad aquilonem. in quocumque loco ceciderit ibi erit. Qui obseruat uentum non seminat. et qui respicit nubes. numquam metet. Quomodo ignoras quis sit uia spiritus. et qua ratione compingatur ossa in uentre pregnantis. sic nescis opera dei. qui fabricator est omnium. Mane seminna semen tuum. et uespere ne cesset manus tua. quia nescis quod magis oriatur. hoc aut illud. et si utrumque simul melius erit. Dulce lumen et delectabile est oculis uidere solem. Si annis multis uixerit homo. et in his omnibus letus fuerit. meminisse debet tenebrosi temporis. et dierum multorum. qui cum uenerint. uanitatis arguentur preterita. Letare iuuenis in adolescentia tua. et in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tue. et ambula in uiis cordis tui. et in intuitu oculorum. et scito quoniam pro omnibus his adducet te deus in iudicium. Aufer ira a corde tuo. et amoue malitiam a carne tua. Adolescentia enim et uoluptas uana sunt. XII.

Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tue. antequam ueniat tempus afflictionis. et appropinquent anni de quibus dicas non mihi placent. Ante quam tenebrescat sol et lumen. et luna. et stelle. et reuertantur nubes post pluuiam. quando commouebuntur custodes domus. et mutabuntur uiri fortissimi. et otiose erunt molentes in minuto. conte-nuo nebrescent uidentes per foramina. et claudent ostia in platea. in humilitate uocis molentis. et consurget ad uocem uolucris. et obsurdescent omnes filie carminis. excelsa quoque timebunt. et formidabunt in uia. florebit amygdalus. in pingue labitur locusta. et dissipabitur capparis. Quoniam ibit homo in domum eternitatis sue. et circumibunt in platea plangentes. Ante quam rumpatur funiculus argenteus. et recurrat uitta aurea. et conteratur hydria super fontem. et refringatur rota super cisternam. et reuertatur puluis in terram suam